



Universitätsbibliothek Paderborn

Acta Pacis Westphalicæ Publica

Oder Westphälische Friedens-Handlungen und Geschichte

Worinnen enthalten, was vom Schluß des Jahrs 1647. biß in den Monath Junium des Jahrs 1648. zwischen Jhro Römisch-Kayserlichen Majestät, dann den Beyden Cronen Franckreich und Schweden, ingleichen des Heiligen Römischen Reichs Chur-Fürsten, Fürsten und Ständen, zu Oßnabrück und Münster gehandelt ...

Meiern, Johann Gottfried von

Hannover, 1735

VD18 90103157

N. IV. an den König; und

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52461](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52461)

1647. Octob. renunciatum, non aliter accepturam interpretaturamque, quam si Christianissimo Regi, Fratri & fœderato Nostrum renunciatum fuisset, quod bellum junctis Viribus gestum eodem tempore adfopitum fuerit, & Armistitium cum utroque Nostrum simul in initum a nobis auctoritatem Vestram sequentibus ratificatum & executioni datum nec ulla in re contraventum, ut non nisi cum utroque simul rumpi potuerit.

Non detinebimus Serenitate Vestram prolixioribus literis, sed confisæ ejusdem constanti in Nos animo affectuque divinum Numen veneramur, ut Serenitate Vestram cum Regiis suis Filiis totoque Regno Gallix salvam incolumen & florentem diutissime conservet. Dabantur in Regia nostra Stockholmenfi, die 24. Octobr. 1647.

N. IV.

Exemplum Literarum Reginae Sveciæ ad Regem Christianissimum.

Nos Christiana Dei gratia Svecorum &c. designata Regina &c. Serenissime & Potentissime Princeps, Frater, Confanguinee, Amice & Fœderate Charissime.

N. IV.
Ej. Schreiben
an den König
in Franc-
rich.

De nullius Principum Germaniæ affectu in causam communem dubitandi majores Nobis unquam extitere rationes, quam de Electoris Baviaræ animo applicando communi rei ac Regnorum utriusque nostrorum. Tot enim tantisque nexibus jungitur Domui Austriacæ Princeps suoapte ingenio non Nobis tantum per Germaniam si non direxerit, particeps tamen fuerit & sustinuerit, nullo habito sive Confanguinitatis sive Vicinitatis respectu, multo minus affectavimus, facile animadvertentes, quicquid studii operæque in eo collocatum fuisset, id sine fructu ac usu & Nobis amicisque nostris fraudi ac nocumento futurum. Hæc licet Nobis non essent ignota atque quoties tractatum cum Duce Baviaræ injiceretur a Serenitatis Vestræ ministris mentio, jussimus nostrates illos declinare, præterita tamen hyeme cum Exercitium nostrorum Duces, Campi Marschallus noster Dominus Wrangelius & Marschallus Vester Dominus de Turrenne juncti in Franconia & Svevia agerent, & ea occasione invaderent Bavariam fixo illic pede, Bavarus nullo alio Consilio sui tuendi reperto ad tractatus occurrit, desertoque in speciem Imperatore Armistitium Nobiscum & cum Serenitate Vestra pepigit, suo quoque fratre Electore Colonienfi incluso, conditionibus suis in præsens proficuis & ut videri voluit pacificandæ Europæ non ineptis, duraturum usque ad generale Armistitium, aut Pacem universalem cum amplissimis promissis se nihil studii operæque intermissurum, quo hæc obtineri possent. Annuimus hisce tractatibus motæ autoritate Serenitatis Vestræ & suafu ministrorum Vestrorum, quicquid transactum fuit Ulmæ nostrarum erat partium, id rati habentes executioni dari jussimus, transmissio ratificationis nostræ solemni Instrumento & ante præscripti temporis exitum reddito: atque ut cuncta majori sinceritate peragerentur, versis armis in hereditarias provincias Cæsaris bellum omne a limitibus ejus transferri jussimus, ea spe, fore, ut Princeps ejus ætatis ac dignitatis datam fidem esset servaturus, præsertim cum ad Nos esset delatum, illum Legatione ad Serenitatem Vestram missa multa de suo candore & sinceritate dixisse. Nos jam expectantes ejusdem Ratificationem primò intelligimus Electorem Coloniensem Armistitio, quod primum acceptarat, renunciassse nunc paulo post ipsum Electorem Baviaræ missis Literis ad nostrum Campi Marschallum quod die ratificationem suam mittere debuisset, nostra retenta armistitium repudiasse, quem-

1647. quemadmodum & nobis ille particulari Epistola id indigitavit, atque huic & 1647.
 Octob. illi responsa sunt, Serenitas Vestra ex adjunctis exemplaribus in Latinum Octob.
 translatis cognoscere poterit.

De prætextibus infringendi Armistitii ab eo cogitatis nihil dicimus, sunt enim per se manifesti, nec aliud quam quæsi colores & inserviunt Nobis, ne in futurum amplius fidamus. Hoc tantum Nos movet, quod Armistitio nobiscum inito renunciando cum Vestra Serenitate pactum conservare videri vult, ac si technis ipsius capi Serenitas Vestra possit, aut, quod Nobis credibilis est, quod credat suis his artibus amicitia Fœderique & Confidentia Nostræ mutua aliquid detrimenti apportari posse. Nos itaque pro summo studio, quo flagravimus nostri conservandi fœderis confidentia ac cooperationis cum Serenitate Vestra in hoc bello adversus Domum Austriacam, & ejus adhærentes, donec divini Numinis benignitate pax universalis, justa, decora & tuta obtineri queat, longe meliora ac destinatis utrinque Nostris accommodatiora sperantes, non possumus non insistere apud Serenitatem Vestram, ut conjunctis nobiscum studiis, consiliis & viribus hanc a Bavaro ejusque fratre acceptam injuriam vindicemus, reducto suo in Germaniam Exercitu, quo pacis Tractatus nunc aliquo tempore non parum turbati iterum restitui, & suos habere progressus queant, tum ne solæ relicta & cautius magisque pro defensione agere coactæ deferere hæreditarias Imperatoris Provincias, mole belli in solos nostros Exercitus redundante, necesse habeamus. Hæc pro Amicitia Nostra communicare operæ pretium duximus nullæ dubitantes, quin Vestra Serenitas sua sponte in id inclinet, quod e re & statu communi, tum etiam ex Fœdere & Amicitia nostra futurum judicaverit, ac imprimis ut hostes Nostri sentiant, nihil se posse vel artibus vel armis, quod ullo modo Fœderis Nostri & Conjunctionis rationes infringat aut debilitet, efficere.

Denique cum destituamur in præsens ordinario in Aula Vestra Residente, iussimus Cubicularium nostrum Generolum Carolum Sopium, qui hoc tempore in Gallia moratur, hasce Literas Nostras Serenitati Vestræ offerre ac responsum ejusdem desuper sollicitare. De cætero Serenitatem Vestram divinæ tutelæ ex animo commendamus. Dabantur in Regia Nostra Stockholmenfi die 29. Octobr. 1647.

N. V.

Literæ Regine Sveciæ ad Cardinalem Gallicum.

Christina &c.

Illustrissime & Eminentissime Domine Cardinalis, Amice Nobis
 sincere dilecte.

N. V.
 Ej. Schreiben
 an den Cardi-
 nal Mazari-
 ni.

Non dubitamus ad aures Eminentia Vestra famam de rupto rejectoque Armistitio Ulmenfi ab Electore Colonienfi primum ac paulo post a Bavaro jam dudum pervenisse; ut non sit operæ pretium onerare Eminentiam Vestram, Regem ejusque dilectissimam matrem Reginam regentem, sororem Nostram charissimam, conquestæ de summa Bavari iniquitate, tum de technis atque astu dicti Bavariæ Electoris Armistitium non Regi Christianissimo fœderato Nostro, sed Nobis solis tenunciantis, haud alio fine, quam ut Nostra arma distrahat, mutuam Armorum & Consiliorum Conjunctionem dissolvat & diffidentia causas excitet. Ideoque amicè monuimus, ut Serenitas ejus bene ponderatis hisce Bavari præmeditatis in ipso initio Armistitii & præteritis